r. 1752.

Relatio Coronationis thaumaturgae Ima-
ginis V. Mariae in ecclesia Fratrum Praedi-
catorum Prov. Russiae Leopoli adservatae ..
... Antonino Bremond Generali Ordinis
a conventu Leopoliensi oblata.

1752

RELATIO
CORONATIONIS
Thaumaturgæ Imaginis Deiparæ Virginis
MARIÆ
In Ecclesia Sacratissimi Corporis Christi & SS. Petri & Pauli Apostolorum Fratrum Prædicatorum Provinciæ Russiæ Leopoli adservatæ

Reverendissimo Patri

ANTONINO

BREMOND

Generali Magistro Totius Ordinis Prædicatorum

à

Conventu Generali Leopoliensi

OBLATA

MDCCLII.

Ad

Reverendissimum Patrem ANTONINUM BREMOND Magistrum Generalem Totius Ordinis Prædicatorum.

TRia sunt Reverendissime Pater non postrema rationum momenta, quibus innixa hæc de Coronatione Thaumaturgæ Imaginis Leopoliensis Relatio Tuo clarissimo Nomini audet inscribi. Primum momentum est redivivus ille in Te S. Patriarchæ DOMINICI *zelus, quo Guzmanum Sanguinem ei vindicâsti, rerum Divinarum amor, Cultûsq; Dei Matris præcipua promotio, promovendiq; honoris ejus ingens studium, indesinensq; desiderium. Qui has hæreditarias* DOMINICI *dotes in Te perspectas perpendit, absq; dubio spondere cogitur, hanc Coronationem Deiparæ nuper in hac Metropoli Russiæ, quæ proprijs Armis Sixti V. Pontificis Maximi insignita, tres diversorum Rituum Sacrorum Antistites distinctæ jurisdictionis se habere gloriatur, tanto apparatu, tanto plausu, tanto splendore celebratam, non absq; ingenti cordis tui jubilo percepturam, ac proinde maximoperè Tibi placituram. Displicere Tibi haud potest, quia ipsius Virginis in Cælo regnantis, in terris Coronatæ, illustri benevolentia approbata creditur. Propensam voluntatem suam per mirabilem illam Stellam ipsa Coronationis nocte omnibus conspicuam*

manifestavit; ut per illud sidus indicaret, Ordinem Prædicatorum, nuncupatum prius Fratrum Peregrinantium, primorum in Russia hospitum, & suæ Imaginis Hæredum, post tot calamitosa perturbatæ pacis sæcula, sub felicibus Reverendissimæ Paternitatis Tuæ auspicijs novo patrocinio fore à se illustrandum. Singulari quippe Deus providentia Reverendissimam Paternitatem supremo Ordinis Prædicatorum præfecit Regimini, quia tanti Patris solicitudini & Curæ commissus Ordo, Literis & pietate adeo nunc illustratur, ut primum nascentis Religionis Nostræ, Sanctum & doctum sæculum iterum reverti videatur. Nam inter infinita emolumenta, quæ in Generalibus Comitijs Bononiæ celebratis sancte & prudentèr à Te sancita & ordinata fuêre, præter illa quotidiana tua Studia, quæ in hoc difficili totq; curis obnoxio Officio, tum Actis Sanctorum, tum Annalibus Ordinis publico juri faciendis, raro exemplo impendis, non postremum est, quod Studium Linguarum Orientalium Ordini nostro necessarium in qualibet Provincia exercendum excitaveris. En offert tibi primitias harum Linguarum primus Provinciæ Roxolanæ Generalis Conventus, quas primo vidit Russia, imò Polonia elogijs Reginæ omnium Linguarum & Gentium consecratas. Viginti septem enim Linguarum tum Orientalium, tum Occidentalium proprijs & genuinis characteribus illustriora Sacræ Imaginis gesta & prodigia, heroico & Patrio Carmine explanata fuêre in depictis tabulatis. Et hæc pauca relata se Tibi offerunt legenda, in quibus dum Tibi rem fore placituram confidat, paterna tua protectione foveri exoptat.

Reverendissimæ Paternitatis Tuæ

Humillimus Obsequentissimus & Devinctissimus

Conventus Generalis Leopoliensis
Prov. Russ. Ord. Præd.

DE REBUS GESTIS

In Coronatione Imaginis B. V. M. á S. Luca depictæ quæ servatur Leopoli apud P. P. Prædicatores.

MAgno Principi Russiæ, Danieli Regi Haliciæ, Sacram Deiparæ Imaginem, antiquitate & miraculis celeberrimam, atq; adeò à Divo Luca Evangelista depictam, simillimamquè illi, quæ Bełzâ translata in Claromontano Częstochoviensi Monasterio summa Religione colitur, cum qua simul in thesauris Imperatorum Orientalium custodita fertur; Imperatores Græciæ tum propter amicitiæ fædera, tum ob nexum sanguinis, in pignus benevolentiæ dono dederunt. Daniel enim duxerat in uxorem Constantiam Filiam Belæ IV. Regis Hungariæ, cujus uxor Maria, Alexij Imperatoris Græciæ Filia, ex Octavia Augusti Octaviani Romanorum Imperatoris & Clauria Nerorum Gente, simulque ex Regio S. Catharinæ Virginis Alexandrinæ & Martyris sanguine descendebat. Leo vero Dux Russiæ Filius Danielis hanc Sacram Imaginem in Bellis contra Saracenos à Principibus suis deportari solitam in Civitate

Halicienſi primò depoſitam, cùm ſede ſua Leopolim tranſtulit, atquè in Æde Sancti Ioannis Baptiſtæ prope Ducale Palatium erecta collocavit, ubi ſtatuit, ut à Baſilianis Monachis diuturno, nocturnoquè tempore, Pſalterium inceſſanter coram hac Imagine cantaretur. Anno veró 1270. Fratres Peregrinantes Prædicatores ſub Innocentio IV. Pontifice Romano qui olim à Gregorio IX. miſſi fuerant in Ruſſiam, ad inſtantiam Conſtantiæ Matris Leonis, Sororis verò S. Cunegundis Reginæ Poloniæ, Ædem Divi Ioannis cum Sacra Imagine in hæreditatem acceperunt, ac Conſtantiam ad habitum tertij Ordinis S. Dominici ſuſceperunt. Hanc Imaginem uti Sacrum antiquitatis pignus, quæ tum in tabula Cypreſſina, tum in forma picturæ, tum etiam in literis Græcis utroquè Lateri inſcriptis, nomine Matris Dei & IESU Chriſti apparet, Fratres Prædicatores, Peregrinantes appellati, in pervetuſta S. Magdalenæ Capella prope atrium Eccleſiæ depoſuerunt, at eminentiori dignam loco, ſe pronuntiavit Virgo Deipara, dum Fratribus ſolitas horas his Verbis terminantibus: *Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria*, reſpondit blando vultu, *Benedicam & intercedam, ſed digna ſum loco præſtantiori.* Quare in Capellam S. Michaelis translata, viſa eſt à Fratribus, deferri ab Angelis in digniorem locum, quem poſtea Cives Leopolienſes ampliârunt, Nobiles veró Poloni piâ munificentiâ in eo inſignem ex marmore erexerunt ſatis amplam Capellam egregijs picturis, & vario ornamenti genere decorârunt. Plurima beneficia, opemquè præſtantiſſimam tulit clementiſſima Virgo in varijs vitæ periculis conſtitutis, quam teſtatam fecerunt numeroſa ex auro & argento appenſa vota, ac pervetuſtis picturis expreſſa miracula. Unde Gregorius XIII. alijquè Romani Pontifices Altare B. Virginis inter altaria privilegiata connumerârunt, in eoquè celebrantibus Indulgentias liberationis animæ e purgato-

rio

rio impertiti ſunt. Clemens vero huius nominis XII. Pontifex maximus per novem dies nativitatem Chriſti præcedentes, quibûs coram hac Sacra Imagine cum ingenti populi concurſu Sacra Novenna Servatoris noſtri celebrari ſolita eſt; prima & ultima die plenariam omnium peccatorum indulgentiam, alijs verò ſeptem annos, & totidem quadragenas benignè conceſſit. Quare Anno 1749. Die 18. Ianuarij Auguſtus III. Rex Poloniarum, & Maria Ioſepha Regina directis literis Varſaviâ ad Annibalem Albanum Cardinalem S. Clementis, & Protectorem Poloniæ, poſtulârunt à Sanctitate ſua Benedicto XIV. Coronationem Laudatæ Imaginis. Acceſſerunt etiam vota Nicolai Ignatij Wyżyccij Archi-Epiſcopi Leopolienſis, Ioſephi Potoccij ſupremi Ducis Execituum, Caſtellani Cracovienſis, multorumquè Senatorum, & Principum, ac Civium Leopolienſium poſtulationes, præſentatis tantis pijs deſiderijs Sanctitati ſuæ ab A. R. Patre Gregorio Kobuz Sacræ Theologiæ Magiſtro Exprovinciali, hac de cauſa Romam miſſo, Sanctitas ſua ad Reverendiſſimum Capitulum Vaticanum S. Petri cauſam coronationis remiſit, ad quod coronarum diſtributio ex pia inſtitutione Comitis Sfortiæ Pallavicini ſpectat: annuit Eminentiſſimus Cardinalis S. Clementis, Protector Poloniæ & Archi-Preſbyter Baſilicæ Vaticanæ, totumquè Venerabile Capitulum, decrevitquè Coronas præſcripto de more Ordine in coronationibus ſervando.

Cum ingenti totius Ruſſiæ, præſertim Conventûs Leopolienſis gaudio promulgata tum per Archi-Præſulem Ordinarium, tum per Epiſcopos Suffraganeos, tum per Circulares omnium Præpoſitorum, & Provincialis Ruſſiæ literas, Coronatio amantiſſimæ Dei Matris, Singularis Prædicatorum Patronæ, novem continuis diebus præcedentib9 actu Coronationis triumphali Claſſico, tū ſuper erectam portam in facie Monaſterij, tum in altiſſima Civitatis

Turre reſonante, ubi alternis vocibus Laudes Deiparæ, celebrabantur, cofluentibus in plateas populis, annuntiata fuit feliciter. Principaliores Perſonæ expreſſæ fuerant in prima Conventûs porta accomodatis Sacræ ſcripturæ paſſibus, ac verſibus. Ab hac porta per totam Plateam hinc inde appenſæ videbantur pergrandes Imagines viginti ſeptem, illuſtriora miracula coloribus exhibentes, totidem linguis Orientalibus & Europæis, proprijs characteribus expreſſa, inferius vero textu Sacræ Scripturæ accomodato, binis Latinis & binis Polonicis carminibus explicata. Principem locum habuit lingua Hebraica, deinde Græca, Arabica, Armenica, Turcica, Tartarica, Georgiano Perſica, Æthiopica, Chaldaica, Aſſyriaca, Indica, Maſſagetica, Dorica, Brachmanica, Illyrica, Sclavonica, Ruthenica, Hungarica, Italica, Hiſpanica, Gallica, Anglica, Svetica, Germanica, Hollandica, Lithvanica, Valachica.

E diametro Conventûs in ipſa perſpectiva plateæ erecta fuit inſignis Porta triumphalis, eminens ſuper omnia Domorum tecta, miramque ſpectantibus præferebat maieſtatem, ſuper globum enim quatuor mundi genijs circumdatum, Coronas deponentibus, eminebat Imago Beatæ Virginis, quæ altera ex parte in Sanctos Ordinis ſpargebat radios, altera ex parte toti univerſo protectionem ſuam exhibebat. Videbatur in medio portæ Imago SSmi Benedicti XIV. Pontificis Optimi Maximi inter quatuor Summos Pontifices ex Ordine Prædicatorum aſſumptos. Inter Columnas portæ, extabant Perſonæ repræſentantes Palatinatus varios & Terras, ſtemmatibus proprijs inſignitas. Ex altera parte Portæ verſus Conventum, in medio appenſa fuit Imago Celſiſſimi Loci Ordinarij Coronatoris cum aliorum Epiſcoporum figuris à Latere, Illuſtriſſimi Archi-Epiſcopi Armenorum, Samuelis Głowiński Suffraganei, Epiſcopi Hebronenſis, Raymundi Iezierſki Epiſcopi Bacovienſis, nunc

ad

ad Supremum Tribunal Regni Iudicis Deputati, Leonis Szeptycki Episcopi Leopoliensis Ruthenorū. Et hæc omnia tum S. Scripturæ passibus, tum carminibus heroicis accommodatis, illustrata fuêre.

Tertia porta in medio Urbis sita, ex tribus montibus efformata fuit, Leone assistente, in quibus in forma Stellæ, B. Virginis erat conspicua Icon, hæc enim propria Arma sunt Urbis Leopoliensis à Sixto V. donata; inter Columnas videbantur Statuæ Sixti V. Leonis Ducis Russiæ, Ioannis Casimiri Regis Poloniæ, & dictæ Urbis singularis Protectoris, & Beatæ Constantiæ Matris Ducis Leonis in habitu tertij Ordinis S. Dominici, ingeniosis inscriptionibus adornatæ. Turris quoque media Civitatis, illuminata ingenti apparatu fuit, Curia vero Consularis diversis emblematibus decorata, mirum Civitati ornamentum exhibebat: totius Civitatis circulus, Imaginibus Coronatæ Virginis illuminatis, erectis per quadrum urbis egregijs columnis, accensis, per octo continuos dies de nocte, magnam majestatem & lætitiam spectatori ingerebat.

Quarta Porta fuit elevata prope Archi-Cathedralem Basilicam, ubi supra Pontificium Triregium, avita Crux Celsissimi Archi Præsulis erecta, ex una facie adstantibus figuris ejusdem Loci Ordinarij, & Suffraganei, ex altera Sanctorum Petri & Pauli, alludentibus ad Capitulum Vaticanum, quatuor latinis carminibus expressis, non modicum Urbi decus afferrebat.

Utraque Porta Civitatis, Cracoviensis & Haliciensis Stemmate Regio, & Sanctorum Ordinis effigie ornata, frequenti lumine illustrata fuit.

In Suburbio verò, in latissima & longa platea excellenti opere & exquisitis picturis extabat porta satis alta, iuxta Monasterium Sancti Monialium S. Dominici, subsidiis Celsissimæ Principissæ Theophilæ de Leszczynsciis Wiszniowiecka Castellanæ Cracoviensis & Fundatricis, tum in honorē, Neocoronatæ Virginis,

tum

tum S. Catharinæ de Riccijs Neocanonizatæ, ipsa Coronationis die simul ad dictam Ecclesiam introductæ. Facies etiam Ecclesiæ, ac tota platea, Symbolis, emblematibus ornata, & ad iucunditatem spectantium miro ordine composita, & illustrata fuit. Ecclesia vero pretioso apparatu exornata, majusq; altare auro, pretiosisquè tapetis cum incredibili decore adornatum, subsidio multarum Illustrissimarum Dominarum tali actui accommodata, & decorata fuêre.

Reliquæ vero Portæ, quarum una ante Ecclesiam S. Lazari, alterà propè Ecclesiam S. Magdalenæ in amplo spatio satis elevata, in triumphali curru ingredientem B. Virginem demonstrans, extructæ fuêre in gloriam B. Virginis, longo ab urbe tractu.

Magna Capella, ubi Coronata Imago veneratur, sericis auro intertextis, magnâquè elegantià & decore, aureis laminis tecta, majus altare Regium Thronum exhibebat, sub quo collocata fuit Imago, duobus geniis Coronam & Sceptrum tenentibus; Thronus quoquè Celsissimi Ordinarij Loci, & concionatoria Cathedra magnificé ornata videbatur; inscriptionibus & Armis affabrè accommodatis; in ambitu vero claustri, appensæ erant Imagines singulis duobus versibus illustratæ, Benedicti XIV. Pontificis maximi, Augusti III. & Reginæ Poloniarum, Ducis Leonis primi Fundatoris urbis Leopolis, & ejus Matris B. Constantiæ, Vladislai IV. Iagellonis, Michaelis I. Korybut, Ioannis III. Sobiescij, Stanislai I. Leszczynij, Benefactorum Conventûs Leopoliensis Eminentissimi Cardinalis Albani S. Clementis, Protectoris Regni, Adami Komorovij Primatis Archi-Episcopi Gnesnensis, Reverendissimi Patris Antonini Bremond Magistri Generalis Ordinis, Filij S. Magdalenæ in Marsilia cum his appositis versibus:

Magda-

Magdalis hunc lachrymæ laudi genuêre Mariæ
Ex quo Relligio, gaudia Mater habet.

CElsissimi Domini Iosephi Potoccij Supremi Ducis Exercituum, Castellani Cracoviensis & Fundatoris, simulquè Fratris Tertij Ordinis S. Dominici, Ejusdem Celsissimæ Consortis Ludovicæ de Mniszchis etiam Tertij Ordinis Sororis, Celsissimæ Dominæ Theophilæ de Leszczyniis Castellanæ Cracoviensis, Principissæ Wiszniowiecka, Ioannis Clementis Branicki, nunc Supremi Ducis, Palatini Cracoviensis, Celsissimi Principis Michàelis Radziwiłł Palatini Wilnensis Supremi Exercituum M. D. Lithvaniæ Ducis, Michaelis Massalski Ducis Lithvaniæ Campestris, Stanislai Potocki Palatini Kijoviensis, Augusti Alexandri Czartoryiski Principis Palatini Russiæ, ejusquè Consortis Sophiæ de Sieniaviis, Michaelis Potocki Palatini Wołhyniæ, Severini Rzewuscij nunc Palatini Wołhyniæ, Venceslai Rzewuscij Palatini Podoliæ, Ioannis Zamoyski Palatini Lublinensis, Michaelis Potoccij Palatini Bełzensis, Stanislai Poniatovij Palatini Mazoviæ, Ignatij Sapieha Palatini Mscislaviensis, Georgij Mniszech Mareschalci Regni, Ianussij Sanguszko Mareschalci Magni Ducatûs Lithvaniæ & Tribunalis Regni, Stanislai Kossakowski Castellani Caminensis, Petri Branicki Castellani Bracławiensis, Francisci Potocki Incisoris Regni, Michàelis Potocki Capitanei Trembovlensis, Iosephi Potocki Capitanei Szczerzecensis, Ioachimi Potocki Capitanei Leopoliensis, Nicolai Potocki Capitanei Kanioviensis, Eustachij Potocki Capitanei Tłumacensis, Adami Tarłonis Capitanei Goszczynensis, Mariani Potocki Capitanei Grabovecensis, Ignatij Potocki Capitanei Kołomiensis.

Inter Civitates Polonas Leopolis sicut eminet altissimis Turribus, quæ maximum decus & maiestatem præbent, sic Coronatio hæc Octava inter peractas in tota Polonia B. Virginis

uti

uti Reginæ Poloniæ Coronationes, eminentior fuit, vel ex eo, quod omnes dictæ Turres, ſcilicet Turris altiſſima Curiæ Conſularis & Senatûs Leopolienſis, PP: Bernardinorum, S. Franciſci de Obſervantia, Conventualium, Carmelitarum antiquæ obſervantiæ, Societatis IESU, Sancti-Monialium S. Dominici, Eccleſiæ Ruthenorum vulgo dictæ Valachicæ, Patrum Ordinis SSmæ Trinitatis, utraque Porta Civitatis, denique pia æmulatione omnium Domorum feneſtræ copioſis lampadibus ornatæ, peculiariter Palatia Illuſtriſſimorum Palatinorum Volhyniæ, & Bełzenſis, numeroſis facibus accenſa, totaque Urbs quandam prætulit in nocte diem, illuſtriſſimumque B. Virginis egit triumphum.

Impetrata à Summo Pontifice facultate, locus Coronationis deſtinatus fuit in campo extra civitatem, in quo Exercitus Polonus ante generales Comitias congregari ſolet, Divino quodam factum Conſilio, ut illa Imago in Campo Militari coronaretur, quæ ſolebat à Ducibus Ruſſiæ in campum bellicum deportari contra hoſtes Eccleſiæ & Patriæ. Itaque in dicto campo expanſa fuere tria inſigniora Tentoria Celſiſſimi Principis Radziviłł Supremi Ducis Exercituum Magni Ducatûs Lithvaniæ, & Palatini Vilnenſis iuſſu & benevolentia allata ex Civitate Nieſvizienſi, ſub quorum medio & altiſſimo tentorio erectum fuit Theatrum triginta gradibus elevatum, ubi extabat menſa Miſſæ celebrandæ à Celſiſſimo Archi-Præſule, præparata. Sub altero appenſus erat ſplendidus Baldachinus, ſub quo poſita erat menſa aureo tapete tecta, aureis Coronis deponendis accommodata. Sub tertio Illuſtriſſimi Prælati Pontificalibus Veſtibus ornabantur.

Præceſſit miraculum quinque diebus hanc Coronationem B. Virginis tali ratione: Franciſcus Fógner aurifaber conſveverat prolem ſuam claudere in hypocauſto, ut eam libertate

inſo-

insolescendi privaret, sed quia in inferiori parte Domûs manebat, ideo per patentem fenestram solebant ejus filij & filiæ egredi, ut sibi Libertatem negatam à Parentibus vindicarent. Contigit autem ut Patrefamilias translato in Superiorem & altiorem partem Domûs cum familia, filia ejus Antonina quadriennis clauderetur in Camera, quæ assveta egredi per fenestram, ex alta fenestra iam se dimiserat, videntibûs vicinarum Domorum & per plateam incedentibûs hominibûs, implorantibûs opem Coronandæ proximè B. Virginis, factum est: ut puella caderet in Lapides, nullo tamen obnoxia periculo inventa fuit, hucusquè vivens, quod ab ipsis Parentibus & octo diversis testibus recognitum, & testatum fuit, singulari patrocinio B. Virginis illæsam conservatam fuisse Puellam.

Die igitur prima Iulij in Vigilia Visitationis B. Virginis Anni 1751. toto triduo præcedente, copioso sono tormentorum bellicorum ex mæniis Urbis dato, processum est à congregatis Illustrissimis Hospitibus ad Ecclesiam S. Antonii Patrum Conventualium, longe ab Urbe sitam, ubi collocatas super principem Aram Coronas, reddens Illustrissimis Dominis Potocciis, Filijs Illustrissimi Palatini Kijoviensis, Nepotibus Celsissimi Ducis iam denati, A. R. Pater Angelus Polikowski S. Thæ. Præsentatus Prior Leopoliensis, brevem disertam ac docte habuit orationem. Binas Coronas receperunt Illustrissimi Domini Potoccij, quorum natu major, egit gratias sermone pleno benevolentiâ & protectione innati Antecessoribus suis amoris erga Ordinem Prædicatorum. Terminato sermone, triumphalia classica, tympana, & sonus armorum intonuit, Illustrissimi vero Fundatores cum copiosis comitantibus Proceribus ad Ecclesiam Monialium Ordinis Prædicatorum iter facientes, obviam habuerunt Copiam Cataphractorum Militum, & multam Nobilitatem equitantem, quibus associati, ingressi sunt cum Coronis di-

 ctam

ram Ecclesiam, ubi coram Celsissimo Archi-Præsule in Pontificio throno sedente egregium sermonem habuit, tenentibûs Coronas Canonicis Illustrissimus Dominus Capitaneus Kołomiensis. Interim Celsissimus Archi-Præsul doctissimè respondit, Domumque Potoccianam laudibus celebravit; deinde finem imponens dictioni suæ, mox e throno surrexit, & procedens ad Aram maximam, Coronas ibi deposuit, & solemni Cantico: *Te Deum Laudamus* cantato, panegyricam Concionem habuit A. R. Dominus Andræas Gabriel Kasperowicz Proto-Notarius Apostolicus & Licenciatus Theologus. Finita Oratione Panegyrica Celsissimus Coronator in assistentia Principum, Senatorum, & Episcoporum, comitantibus numerosis dignissimis Personis dictas Coronas in Campum ad præparatum locum deportavit, & in loco destinato collocavit, obviam veniente Illustrissimo Domino Szumlanski Vexillifero Haliciensi, & Regimentario cum copiosa phalange cataphractorum militum, salutante Exercitu Celsissimum Coronatorem viginti explosis bellicis tormentis, & respondentibus numerosis armis è Mæniis Civitatis, salutavit Celsissimum Coronatorem in loco nominato, nomine totius Ordinis Prædicatorum R. P. Vincentius Mutyński Sacræ Theologiæ Lector.

Illud verò memoriâ dignum tunc contigit, quod licet toto fere tempore continua inundatio imbrium præcesserit, Coronationis vero Diem mira serenitas comitata fuit; ipsam vero Coronarum depositionem, insolita turbatio aëris, fulgure, grandine, & tonitru secuta fuit, magnumquè timorem & damnum præcipue tentorio continenti Coronas molita, ab illo serpente forsitan excitata, qui insidiatur calcaneo Virginis, at contritum est caput eius, mox enim insolita pax Cæli cunctos ad propria redeuntes reduxit. Nocturnas excubias ad depositas Coronas egerunt viginti quatuor cataphracti milites, & sex Religiosi Prædicatores.

Die

Die Iovis, prima Mensis Iulii summo mane universa arma bellica in Castris & in mæniis Civitatis collocata incessanti mugitu principium tum faustæ lucis salutabant, tum etiam per universas turres, buccinarum, & timpanorum triumphales resonabant voces; Circa horam septimam medii horologii Imago B. Virginis allata fuit ad Castra, quam viginti tormenta bellica salutârunt.

Congregatâ ingenti Copiâ Senatorum, Episcoporum, Nobilium variarum Confraternitatum ex diversis Civitatibus venientium, Omnium Ordinum, Cleri, omniumquê Civium, & incredibili multitudine confluentis populi, Sacra Imago ab Illustrissimis Dominis Ozga Episcopo Kijoviensi & Leone Szeptycki Episcopo Leopoliensi, comitantibus Illustrissimis Canonicis Godorowski & Niemierzyc, alta fuit & in throno eminenti collocata. Celsissimum vero Coronatorem pontificaliter ornatum in faldistorio sedentem assistente Clero & universo Populo A. R. P. Henricus Russian Sacræ Theologiæ Magister, Provincialis Russiæ Ordinis Præd: celebri oratione & rarô stylô ex solis Sacræ Scripturæ passibus confecta allocutus fuit, instando humiliter, ut ad exoptatum Actum Coronationis feliciter procederet. Annuit mox Celsissimus Coronator, atquè suam Pastoralem benevolentiam erga Ordinem Prædicatorum longo & docto sermone manifestam fecit, ac Coronas cum Sceptro, auro tectis pulvinaribus impositas, tradidit Provinciali & Priori Leopoliensi, qui super retentionem perpetuam Coronarum, illarum nunquam ab Imagine avellendarum, emiserunt iuramentum, quod in formam consvetam redactum, publice legit Protonotarius Apostolicus, mox etiam legit Decretum Coronationis ab Eminentissimo Cardinali Albano S. Clementis, Archi-Præsbytero S. Petri, & à Reverendissimo Capitulo Vaticano transmissum de Urbe, Leopolim. Surgens Celsissimus Coronator è throno incepit hymnum:

mnum: *O Gloriosa Domina*, & postquam Coronas benedixit allatas in pulvinaribus per Provincialem & Priorem Leopoliensem, & repositas in Altari ante Imaginem: cantavit collectam; *Deus qui Virginalem Aulam &c.* sedit in faldistorio, audivitquè instantem pro coronanda Imagine A. R. Patrem Angelum Polikowski Sacræ Theologiæ Præsentatum Priorem Leopoliensem. Publicatis Indulgentiis per Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Gediminum Deputatum & Canonicum Gremialem Leopoliensem, Celsissimus Coronator accessit ad Aram, ibique Solemnem Missam celebravit, sonante exquisitá & numerosá musicâ, & continuo Armorum bellicorum edito strepitu. Diaconus cum Subdiacono Sacram Sinaxim sumpsit de manu Coronatoris Archi-Episcopi; finito deniquè sacrificio habita est Concio Panegyrica ab A. R. Patre Hieronymo Waxmański S. T. Præsentato, Theologo Celsissimi Castellani Cracoviensis Supremi Ducis Exercituum pie defuncti. Post completam Concionem Celsissimus Coronator inchoatá antiphonâ: *Regin a Cæli lætare.* Servato Ordine & forma coronandarum Imaginum præscripta à Capitulo Vaticano, prius Capiti IESU Christi, deinde Capiti B. Virginis MARIÆ aureas Coronas imposuit. Sonabant tunc omnium Ecclesiarum æra campana, Illustrissimi vero Potoccij numismata aurea, argentea, & ærea spargebant in populum. Celsissimus autem Coronator accepta in manus Imagine Coronata, adjuvantibus Episcopis & Canonicis benedixit quatuor mundi partes, prostratis universis in terram, & prægaudio exclamantibus, & lachrymantibus. Tali Ordine tunc processio instituta fuit: præibant vexilla omnium artificum Civitatis, sequebantur Cataphracti & Loricati Equites Nobiles Poloni, quibus præerat Illustrissimus Szumlanski Regimentarius, tum cum Sacris Imaginibus, & vexillis procedebant numerosæ Confraternitates ex diversis etiam civitatibus

pro-

propter lucrandum Iubilæum, & celebrandam Coronationem, congregatæ; postea diversi Religiosi Ordines Crucifixum præferentes, tandem Clerus sequebatur. Plurimi vero Religiosi Dalmaticis induti ferebant septem Imagines totidem Beatorum Ordinis S. Dominici nuper in Cathalogum Beatorum à Benedicto XIV. Pontifice Maximo relatorum. Portabantur duo vexilla, S. Catharinæ de Ricciis unum, alterum B. Virginis Lauretanæ, dono oblatum ab Illustrissimo Domino Michaele Potoccio Capitaneo Trembovlensi & Fundatore. Tum deniquè quatuor Dalmaticis induti Religiosi gestabant humeris corpus S. Coronati Martyris, & alij corpus S. Mansveti Martyris, in ligneis deauratis, affabrè factis urnis, cristallo perlucido ornatis; reposita ambo corpora, quorum unum S. Coronati corpus ex benevolentia Sanctissimi Domini Benedicti XIV. Pontificis Maximi, alterum ex gratia Eminentissimi Principis Cardinalis Lante, oblatum Ecclesiæ Leopoliensi fuit. Procedebant ad latera Nobiles Aulici cum accensis facibus supra quadringentis Amplum theatrum serico purpureo aureoque tectum erat, quod propriis humeris & brachiis sustentabant octo Sacerdotes Dalmaticis ornati, multæquè Illustrissimæ Personæ, & Nobiles Hospites; in dicto theatro quatuor Genij repræsentantes Levitas Veteris Testamenti, tenebant Arcam deauratam, plenam SS. Martyrum Reliquiis, mannâ, virgâ, & Tabulis Legis, mirum in modum factis; supra Arcam positam, Coronatam Imaginem tenebant Seraphini, hinc Spectatori mirus quidam decor, maiestas, & timor, ex Sacra Imagine emicabat. Hanc Mysticam Arcam sequebatur Capitulum Reverendissimorum Canonicorum, deinde bini incedebant Illustrissimi Episcopi Dominus Turzański Abbas Uniovienfis, Iacobus Augustinowicz Episcopus Æginensis Coadjutor Armeni Ritûs Archi-Episcopatûs Leopoliensis, Raymundus Iezierski Episcopus Bacoviensis, Szeptycki Episcopus

Saldi-

Saldinensis Suffraganeus Luceoriensis, Szumlanski Episcopus Premysliensis R.G. Leo Szepticki Episcopus Leopoliensis R.G. Samuel Głowinski Episcopus Hebronensis, Suffraganeus Leopoliensis, Ożga Episcopus Kijoviensis, ac tandem Celsissimus Nicolaus Wyżycki Archi-Episcopus Leopoliensis Coronator, quem innumerabilis multitudo Nobilium, & populi comitabatur. Cum hac universa pompa Celsissimus Coronator, visitavit Ecclesiam Sancti Monialium nobilissimè ornatam, ubi tantisper reponens Thaumaturgam Imaginem, simulquè introductam Imaginem S. Catharinæ de Riccijs splendidissime ornatam, cum Imaginibus duarum Beatarum, Stephanæ de Quinzanis, & Luciæ de Narnia, relinquens in dicto Templo, in quo quatuor diebus solennissimè celebrata fuit introductio Canonizationis S. Catharinæ, progressus est ad Urbem cum toto apparatu. Difficile dictu est, illa tripudia exultantis Civitatis, illos triumphos armorum bellicorum, illam harmoniam buccinarum, tympanorum, illas voces devotæ popularitatis, illas pias lachrymas spectantium, in terram procumbentium coram Sacra Deipara, explanare. Ut me paucis expediam, audeo asserere, Leopolim à Constitutione sua nunquam vidisse tantam maiestatem, quantam vidit in hac Coronatione. Ubi vero ad magnam capellam feliciter ventum est, cum Sacra Imagine à Celsissimo Coronatore Solenne illud Canticum. *Te Deum Laudamus* incæptum est, quo absoluto Concionem panegyricam habuit A. R. Dominus Iacobus Tumanowicz Proto-Notarius Apostolicus, Theologus Licentiatus Ritûs Armeni, Concionis finem secuta est Pastoralis benedictio Celsissimi Archi-Præsulis. Celebratis postea Vesperis ab eodem Celsissimo Sacrorum Antistite A. R. Dominus Rudołowski Senior & Vicarius Archi-Cathedralis, Sacrum Oratorem de Laudibus B. Mariæ egit. Absoluta Solennitate iuxta morem Ecclesiæ Polonæ, adveniente nocte

præ-

præter totam Urbem, omnes Turres, omnes Portas triumphales accenſas; in loco eminenti toti Urbi conſpicuo & patenti artificioſi ignes triumphum egerunt Coronatæ Reginæ, Stemmata SSmi Domini Benedicti XIV. Regis & Reginæ, Domûs Potoccianæ, & aliorum Magnatum Poloniæ ardebant. Eminebat Nomen Sanctiſſimum MARIÆ, ac DEI, literis Hebraicis formatum, ac excellenti opere ignes vibrabantur. Illud vero tunc evenit mirabile, quod circa undecimam noctis horam, ab Oriente viſa fuerit exoriri ingens STELLA diverſis coloribus plena ad Occidentem vergens, quæ ſupra ipſam Prædicatorum Domum volans, à tota fere Civitate non ſine ingenti ſtupore obſervata fuit, & quod mirabilius eodem tempore viſa fuit ab aliis diſtantibus tunc Leopoli pluribûs milliaribûs.

Ipſa Viſitationis B. Virginis die Celſiſſimus Coronator ſolenni ritu Sacrificium celebravit, Concionatores Marianos egêre hi ſequentes Clariſſimi Viri: Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Raymundus Iezierſki Epiſcopus Bacovienſis Ordinis Prædicatorum, Veſpere A. R. P. Damianus Matuſewicz Sacræ Theologiæ Magiſter, Provincialis Poloniæ Ord. Præd. poſt cujus Concionem publica Proceſſio per Civitatem cum Coronata Imagine habita fuit.

Sabbatho mane A R. P. Franciſcus Kozlewſki Iubilatus Exprovincialis Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, Guardianus Lublinenſis, Veſpere A. R. P. Venantius Tyſzkowſki Definitor, Iubilatus, & Actualis Theologiæ Profeſſor ejusdem Ordinis.

Dominica, mane, A. R. P. Stanislaus Słowacki Doctor Exprovincialis & Guardianus Leopolienſis Ordinis S. Franciſci Conventualium, Veſpere A. R. P. Rubczynſki Doctor, Prior Trembovlenſis Ordinis Carmelitarum antiquæ obſervantiæ.

Die Lunæ mane A. R. P. Kopinſki Sacræ Theologiæ Doctor,

ctor, Provinciæ Polonæ Ord. Præd. Veſpere A. R. P. Benedictus Korwicki, Iubilatus, Deſinitor, Actualis Theologiæ Profeſſor Ord. S. Franciſci de Obſervantia.

Die Martis, mane A. R. P. Bieykowſki ex Rector Lublinenſis Soc: Ieſu; Veſpere A. R. P. Eugenius à S. Mathæo Carmelita Diſcalceatus.

Die Mercurii A. R. P. Conſtantinus à Viſitatione Ex Provincialis Ord. SSmæ Trinitatis Redempt. Capt. Veſpere A. R. P. Kleczewſki Definitor, & Actualis Lector Theologiæ S. Franciſci Refformatorum.

Die Iovis A. R. P. Samuel Wyſocki Aſſiſtens Provinciæ Polonæ Ord. Clericorum Regularium Scholarum Piarum, Veſpere A. Reverendus Dominus Wierzbicki Capellanus Monialium S. Brigidæ.

Die Octava Perilluſtris & Reverendiſſimus Dominus Criſpinus Cieſzkowſki Canonicus Gremialis Leopolienſis, Concluſit Octavam Perilluſtris & Reverendiſſimus Dominus Lucas Godorowſki Canonicus Gremialis Leopolienſis.

Infra Octavarij dies ad Solemnes Miſſas Votivas & Summas cantandas hoc Ordine invitati fuerunt Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Prælati.

1ma. Die infra Octavas ad Miſſam Votivam Perilluſtris & Reverendiſſimus Dominus Trębiniki Prælatus Infulatus Zamoyſcenſis, ad Summam & Veſperas Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Ozga Epiſcopus Kijovienſis.

2da Die ad Votivam Perilluſtris & Reverendiſſimus Dominus Czołhanſki Scholaſticus Leopolienſis; ad Summam & Veſperas Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Samuel Głowinſki Suffraganeus Leopolienſis.

3tia. ad Votivam Perilluſtris & Reverendiſſimus Dominus Wienjawſki Cancellarius Leopolienſis; ad Summam & Veſpe-

ras

ras Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Szeptycki Episcopus Saldinensis Suffraganeus Luceoriensis.

4ta. ad Votivam Perillustris & Reverendissimus Dominus Zembowski Canonicus Gremialis Leopoliensis; ad Summam & Vesperas Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Raymundus Iezierski Episcopus Bacoviensis, Ordinis Prædicatorum.

5ta. ad Votivam Perillustris & Reverendissimus Dominus Niemierzyc Canonicus Leopoliensis, ad Summam & Vesperas Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Lascaris Episcopus Zenopolitanus, Abbas Zołkieviensis, & Ołycensis, Ord Clericorum Regularium Theatinorum.

6ta. ad Votivam Perillustris & Reverendissimus Dominus Barszczewski Canonicus & Officialis Leopoliensis, ad Summam & Vesperas Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Iacobus Augustinowicz Episcopus Eginensis Coadjutor Archi-Episcopatûs Armenorum Leopoliensis.

7ma. ad Votivam Perillustris & Reverendissimus Dominus Młodecki Infulatus Kodensis & Canonicus Leopoliensis, ad Summam & Vesperas Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Leo Szeptycki Episcopus Leopoliensis Ord. S. Basilij Magni.

Octava Coronationis die ad Votivam Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Turzański Abbas Unioviensis Ord. S. Basilij Magni; ad Summam & Vesperas Celsissimus & Reverendissimus Dominus Nicolaus Wyzycki Archi-Præsul & Coronator. Solenni *Te Deum Laudamus* Cantico, deinde Pastorali benedictione data, feliciter Coronationis Octavarium consummavit, assistente numerosissimo consessu Celsissimorum, Illustrissimorum, Principum, Senatorum, Procerum, & Nobilium; Solitæ per continuos octo dies, illuminationes, Armorum strepitus, ac novi ignes artificiosi ultimam Octavarij noctem terminârunt.

Infra Octavas Coronationis plures Theologiæ & Philosophiæ Dissertationes sub auspicijs Domûs Potoccianæ Fundatricis propugnatæ, publicè habitæ fuêre.

Die vero Tertia Coronationis, panegyri sua juri publico facta celebravit Elogia Coronatæ Virginis, Celsissimo Potocciorum Nomini dedicata A. R. P. Dominicus Siekierzynski S. T. Lector, Prior Iavoroviensis.

Numerum Missarum & Sacræ Synaxis sumptæ non revocamus ad calculum, considerando enim ingentem concursum Populorum confluentium ad Metropolim Russiæ tum pro lucrando Iubileo, tum pro colendis triumphis Coronatæ Virginis, quisquè facile conijcere potest, in credibilem fuisse communicantium, & absolutarum Missarum Numerum, propter magnam Copiam Ecclesiarum; Copiosissimæ quippe Societates, quæ pietatis causâ ex varijs Civitatibus & Terris convenerant, tam ante, quam post Actum Coronationis Vota sua argentea litârunt Coronatæ Imagini, numerabantur 37. In ipsa verò Coronatione diversæ Societates computatæ sunt 21.

D. O. M.

Gloriosissimæ semperqué Virgini

MARIAE

Reginæ Poloniarum

à

S. Luca Evangelista in Imagine Leopoliensi Depictæ

Ab

Imperatoribus Græciæ & Ducibus Russiæ præcipua Veneratione Cultæ, miraculis Clarissimæ

à
BENEDICTO XIV.
Pontifice Optimo Maximo.
Imperante
FRANCISCO I.
Romanorum Imperatore.
Regnante
AUGUSTO III. & MARIA IOSEPHA
Rege & Regina Poloniæ.
Protectore Regni
Annibale Episcopo Portuensi S. Clementis
CARDINALE ALBANO
Capituli Vaticani S. Petri de Urbe Archi-Presbytero.
Per
Celsissimum, Excellentissimum & Reverendissimum
D. NICOLAUM IGNATIUM
de Wyżyce
WYZYCKI
Archi-Episcopum Metropolitanum Leopoliensem, Ordinis
Aquilæ Albæ Equitem,
De Militia Iesu Christi & de Pænitentia B. Dominici
Fratrem,
In Acie Castrorum Coronatæ.
Sub
Regimine Totius Sacri Ordinis Prædicatorum,
Reverendissimi Patris S. T. Professoris
F. ANTONINI BREMOND

Magistri Generalis.
Auxilijs, benevolentia, & munificentia Celsissimæ Fundatric
DOMUS POTOCCIANÆ.
Anno Iubilæi MDCCLI. Die I. Iulij.
Leopoli.
Immortalis Memoriæ
Pij, gratissimique animi monumentum
Posuit
Frater Angelus Polikowski S. T. Præsentatus Prior,
hujus Coronationis Postulator
Cum Filijs.
Conventûs Generalis Leopolien. SS. Corp. Christi &
SS. Petri & Pauli Apostolorum, Provinciæ Russiæ.

APPROBATUR
Leopoli 28. *Februarii*
1752.

NICOLAUS IGNATIUS
WYZYCKI
Archiepiscopus Metropolitanus Leopoliensis.
mmp.